

conuerti uoluerunt ab omni
recte sua. Habent cer
uisti & se iuri medicina
te praesentant. ut nihil
fuis meritis tribuan
re depurantes. de his in
timelibus uicis estantia
nullis qd de talibus a re
im sui de uirtute inur
doloru in sibi or. Nihil
numo id est in sca script
alio necessarii si quis
eq. quicquid qd nomum
tut. Tu aut neglexe
im alius in nulla sua.
omne sua; Omnia

tanti ad sustentatione huius pre
sentis present uicis: qd e mundi
delectatio quicqz in massi parat qd po,
Vnde dicitur; At illi nec dixerit. & abierit
aluis in nulla sua aluis ad negotiatio
ne sua; In nulla te e. In terrene
inmoderate inuincere. In negotia
tione uero te e. ad honori uero tenui
lupum lucis in hiate; Quia enim
aluis in tentus labor terrene. aluis
uero mundi huius ad honori; de huius
mysteria incarnationis dominice
pensare & scdm illu inuere diffimu
lat quasi actuali uel negotium p
gens. uenire ad regis in ptaf recusat
I. plerumq; quod e gratia in nulli
uocari in tam inuicem pium
fai enim in fecerit; Vnde et in huius

Continetur hoc Volumini
DUNCAN LIDDELL SCOTT

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In III. Meteororum de Nisi generatione Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Dissp. Pathologicae, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Dissp. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura & Facultatib. medicamentorum.

De Compositione & Preparacione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione &

de Febris Natura & disp. I.

de Febris II.

de Febris III.

Disputationum de Corpore Mix-
to in genere VI.

De
QUALITATIBUS SECUNDIS CORPO-
RIS MISTI.

Et quidem de
ODORIBUS.

Quam
Duce ac Luce JEHOVA;
In illustri ac florentissimâ Vitebergensi Academia
PRÆSIDE

Clarissimo & acutissimo Philosopho
Dn. IACOBO MARTINI
LOGICES ET PRACTICÆ PHILOSOPHIÆ
PROFESSORE PUBLICO.

Ventilandam exhibet
DAVID CUSELIUS
STETINENS, POM.

Ad diem 31. Martij, horis locq̄, consuetis.


VITEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. XV.



Antiqua Generis Profapia,
Egregia virtutum & præclaræ eruditio-
nis gloria.

Verè Nobilissimis Viris:

Dn. HEINRICO A Bulow /
Hæreditario in Krumbefe & Gartaw / &c..

Dn. BURCHARDO A Beltheimb /
Hæreditario in Harpfe & Ostraw / &c..

Musarum favoribus eximijs :

Dominis meis Promotoribus ac Meccæ-
natibus summo observantiæ cultu pro-
sequendis:

Γύμνασια hoc Φιλοσοφικόν.

Debitæ observantiæ monumentum,
Grati animi documentum.

Consecrare, inscribere
& volui & debui.

David Cuselius Stetino-Pomeranus,
Author & Respondens.



Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO SEXTA,
DE ODORIBUS.

Συνοψισ.



Vitae pabulum rectè perhibentur COLORES, (de quibus in præcedenti Disputatione fuit actum ac peractum) Ita & Narium quasi Nutrimentum esse videntur ODORES. Hi enim præstantiores sunt, & plus ad corporis humani sanitatem promovendam conservandamq; conferunt, quam illi; Ratio est, quia Olfactus subtilissimè aerem sive corruptum, sive incorruptum tangit, & ad se trahit, unde rectissimè dicitur, corpori longè plus nocere gravem & corruptum Odorem, quam cibum, aut qualitatem aliam corruptam, imò longè pejus offendi cerebrum Odore gravi, quam ulla alia qualitate, quod satis superq; in confesso est, ac in ipso Ζητήσεως actu nonnullis exemplis plenè planiusq; ad oculum demonstraturi sumus.

Thesis I.

Ordimur itaque ab eo, quod caput est hujus materiae, nempe à Definitione Olfactibilis Qualitatis quæ ODOR est & dicitur. Prima enim demonstrationum principia sunt Definitiones, attestante Zabarella lib. 1. post Ana: cap. 26. Estque ODOR, Affectio quædam seu Qualitas Olfactum feriens, consistens in halitu sic

A 2

co, qui

eo, qui beneficio Solis per calorem operantis aut, vi ignis excitantis à rebus sapidis in aërem & aquam spargitur, quod videre licet, in his quæ suffiuntur, qualia sunt mastiche, thus, succinum, myrrha, camphora, &c. unde Sensus noster exterior in ordine, Tertius, ea, quæ facultate sunt odorata, per aquam & aërem actu percipit, sensit & ad se allicit.

II. Genus Definitionis porrò est, non vapor, seu fumosa exhalatio, neque substantia, vel aliud quicquam corporeum; qua in sententia: primùm fuit Heraclitus, quem Plato, Galenus & alij secuti sunt, sed Qualitas. Qualitatem esse (Philosophus affirmat,) videlicet sapidæ siccitatis in humido, quia omnia, quæ insipida sunt, nullum quoq; habeant Odorem, Magirus lib. 6. Physic. c. 9. Scal. lib. 1. de causa lat. ling. pag. 296.

III. Subjectum Olfactibilis qualitatis est corpus mixtum. Corpora siquidem simplicia, cujusmodi sunt 4. Elementa, uti Terra, Aqua, Ignis & Aër, odore prorsus carent: Nec omne et jam mixtum, seu quaecunq; corpus Materia est Odoris, sed tantùm illud, quod in sicco sapido cum humido proprio inest, verbi gratia; Lapis Odorem non habet, quia nullius est saporis: Ligna verò odorem habent, quia sapore sunt prædita. Arist. lib. de sensu & sensibili c. 1.

IV. Causa Efficiens Odoris est CALOR, Dd. Conimbr. lib. 2. de anima cap. 11. quest. 2. art. 1. Qui quidem est duplex: unus interior, alter exterior. Ille est tanquam artifex Odoris, quia coquit, alterat, miscetq; humidum cum sicco, & temperatum reddit: ubi verò humidum cum sicco planè coctum non est, ibi res Odoris expers redditur. Hic autem vel est Ignis vel Solis, qui Odorata corpora efficit, inde qualitatem extrahit ac educit.

V. MATERIA Odoris est humidum & siccum, iratamen, ut humidum subdominetur, & siccum prævaleat: uti supra thesi 3. quoque innuitur. FORMA inde patet; quod calor ita concoquit siccum in humido sapido, ut inde producat fumos seu halitus emanantes in totum aërem. FINIS principalis est; ut alimentaria à non alimentis discernantur: Odores enim sunt quasi indices utilium nutrimentorum, & non utilium Magir. loco citato.

VI. Præterea DIFFERENTIÆ seu species Odorum, (quorum vocabula sumuntur à similitudine saporum) cognoscuntur par-



partim ex Adjunctis; partim ex Subjectis. Ex adjunctis duæ rati-
tum sunt propria Odorum species; Una est Odor gratus, & res
hoc præditæ nominantur *εὐώδεις*: Altera Odor ingratus, quo res
præditæ dicuntur *δυσώδεις*, id est graveolentes, vel quod idem
est, Odor vel est bonus, vel est malus: His duabus speciebus jam
enumeratis, Aliæ septem ascribuntur ab Aristotele, *lib. de anima*
cap. 9. §. 95. Vel curio: *lib. 4. cap. 7.* Mag. *lib. 6. Physiolog. cap. 9.* uti est
Odor Dulcis, Amarus, Acris, Salsus; Acerbus, Austerus, Acidus.
Et sicuti saporis quidam sunt extremi, quidam intermedij: Ita &
Odores vel extremi sunt (ut Odor dulcis & amarus, seu gratus &
ingratus) vel Intermedij, ut Acris, Salsus, Acerbus, Austerus, Acidus.

VII. Odor dulcis seu gratus, est itidem in duplici differentiâ;
vel est mediocris, vel vehemens. Mediocris est, qui ex sicco & hu-
mido aereo tenui oritur & emanat, qui Odor, tum ad delecta-
tionem, tum ad sanitatem custodiendam; similiter ad spiritus in-
staurandos, ad cerebri frigidam & humidam intemperiem, nec
non ad memoriam stabiliendam, & deniq; ad omnes sensus con-
firmandos plurimum confert. Magirus *lib. 6. Phys. c. 9.* Scaliger *Ex-
erc. 297. sect. 2.* Vehemens verò Odor est, qui animalem spiritum
primum oblectat, sed si diutius Naribus obversetur, vaporum
copiâ cerebrum implet, & halituum ubertate istud perturbat, un-
de animi dolores proveniunt: Sic & Intermediorum species de-
finiri facili negotio poterunt, quas brevitate ergò lubentes omit-
timus: Imprimis verò Dns. Philippus Mel. in libello de Anima
hasce delibatas species ordinè recenset & pertractat.

VIII. Homines insuper propter frigiditatem cerebri ODORIBUS
fortiter fragrantibus, multum delectantur: Hi n. à calore oriun-
tur; ideoq; frigiditatem cerebri contemperant, & spiritus instau-
rant. E contra Odores foetidi, qui ex corpore putrescente resol-
vuntur, cerebrum illud debilitant ac hebetant, cujusmodi sunt
Odores stercorei: (stercus autem humanum suâ naturâ venenum
est cerebro, quia ex partibus vitiosis & malè torrefactis, exhalat.)
Quin imò malo ac gravi odore non nunquam homines subito fu-
isse extinctos, jam pridem compertum est, vel etiam ad minimum
mulieres gravidas abortum fecisse legimus.

IX. Vice verò versa homines nonnullos solo Odore suavi ac
dulci

dulci sustentatos esse experientia, (quam rerum omnium magi-
stram vulgò dicunt) jam dudum docuit, Exemplum unum atque
alterum enarrare libet, De Democrito historiae testantur, quod in
gratiam sororis suae solo odore calidi panis vitam triduo propa-
gavit. Et in Germania etiam auditum est, quod ille Europæ
Phoenix, & magnum omnis doctrinæ in Germania lumen Phi-
lippus M. p. m. (quo Elogio usus est Keckerman: in præcogni-
Logi: cap. 5. tract. 2.) exemplum notatu dignum suis tum tempo-
ris discipulis & auditoribus commemorare solitus sit.

X. Mœchum quendam, qui cum fame & inediâ necandus esset,
per aliquot dies in carcere ex nidore carnis assatæ, quæ ut diutur-
nior & vehementior a deo quæ acerbior esset cruciatus (non enim
est mortis genus acerbius, quam fame perire ac extinguï) quæ in-
quam ipsi quotidie offerebatur servatum fuisse. Legatur hor-
renda ac memorabilis historia De Senatu Glogoviensi in Silesia,
fame necato per JOHANNEM quendam Principem Silesium cir-
ca annum Christi 1490. apud Joach. Cur. in Ann. Sil.

XI. Licet revera sese ita habeant, quæ modo dicta sunt, inte-
rim tamen non affirmamus, quod ODORES nutriant, cum hac
de re lis magna, & insignis disceptatio sit inter Peripateticos &
Medicos naturæ ministros. Hi 4. argumentis Affirmativam:
Illi vero cum parente suo, in lib. de sens. & sensili cap. 5. Negativam
toridem tenent rationibus.

XII. Ar enim vero nos quoque cum Philosophorum antesi-
gnano Aristotele loco citato intrepidè dicimus ac statuimus, odo-
res verè ac naturaliter nullo modo nutrire, nullumq; animal solo
odore vitam in spatium longum extendere posse. Id enim nutrit,
quod in substantiam rei viventis convertitur, hoc autem soli
substantiæ convenit non odori, qui accidens est. Ergo odor per
se nutrire haut potis est. Idem nobiscum asserit vir magni nomi-
nis Scaliger Exerc. 303. sect. 4.

XIII. Posito quidem sed non concessio, si Odores animal nu-
trirent, sive fieri rationale, sive foret irrationale, tunc hoc pacto
res odoriferae cum primis minutæ statim consumerentur, si conti-
nuè aliquid ab illis deflueret, quod tamen est ἀρωγον vide Aristot.
in probl. sect. 12. pag. 10. Quamobrem probè notanda est Aristoteli-
ca di-

ca distinctio, qua omne odorum genus dispescit in duas classes
(unde & altera differentia odorum ex subjectis resultat.)

XIV. 1. Continet genus eorum, qui alimentis insunt, quatenus alimenta sunt, & vocantur odores alimentosi, hoc Natura in didit alimentis, ut ex ijs animalerjam eminus dignosceret alimenta sibi convenientia: Talis est nidor carniū quę assantur; sic alimenta putrida, ut pisces, odore dignoscimus & repudiamus. etjam, priusquam gustemus.

XV. 2. Continet genus odorum, qui non insunt alimentis, neque ex ijs alimenta noscimus, sed alios nobis præbent usus, & dicuntur odores medicamentosi, ut Medicis comperum est: nam spiritus instaurant, & præcipua viscera roborant. Talia sunt unguenta, odorata & aromata, nec non flores & herbæ coronariæ quę suavem spirant odorem. Quod autem Medici inquit, in viventibus quasdam partes tenues, id est spiritus nutrire & sustentari; id si de odore ipso intelligitur à vero abest; si de aërea substantia, qua odor defertur, eatenus admitti debet, quatenus aër: unde patet spiritus nutrire nutritione impropria, qualis est ea, qua lucerna oleo, & aëre circumfuso sustentatur.

XVI. Prius genus odorum ad alimenti dignotionem serviens, ab omnibus animalibus percipitur, eoquę reliqua afficiuntur. Posterius verò solius hominis proprium est, eumquę solum afficit, cujus rei causa videtur esse peculiare cerebri humani temperamentum, de quo prolixè quæstione ultima agemus quę sequuntur huc non pertinent sed ad librum de Anima.

XVII. ὄψωνος Olfactus investigantibus occurrit primò Nasus, homini tantum altior, eminentiorquę in facie; quo quasi tegumento Nares occultantur. Hæ autem ad tria munia interserviunt. 1. Imprimis ad attrahendum & emittendum aërem, cujus una pars tracta irrepit in cerebrum, altera in cor, per quasdam foramina. 2. Ad excrementa defluentia & mucosam eluviem emungendam, ideoquę declivi meatu Nasus patet. 3. Ad hauriendos odores, unde animantia, quę longiores habent Nasus, sagaciora sunt.

XVIII. Estquę hoc ὄψωνος secundum aliquam participationem, naturæ igneæ & igneū aliquid, ad quod organum cum odor à corpore odorifero diffusus pertingit, fit odoratio. Dividunturquę

Eturq; Instrumentum hoc quo Odores percipimus, in principale & minus principale: Principale, sunt nervei ductus, qui ab anterioribus cerebri ventriculis prodeuntes, sensorium Olfactus constituunt: Secundarium seu minus principale verò sunt, Nares & quidem superior Narium pars, quæ angusta est, & in qua anteriores cerebri ventriculi conjunguntur. Estque illa superior pars membrana mollis & alba, nervis non dissimilis, quæ processum habet magis latum quam profundum, ut Odores in eo sese colligere, & à spiritibus cerebri possint percipi. Vel ut breviter dicamus: ὄργανον Olfactus est potentia, sita in duabus carunculis, quæ sunt intra Nares, similes capitibus mamillarum.

XIX. Videtur etiam haud inconcinnè his secundarijs instrumentis annumerari posse Os ἡθμοειδές: illius enim foramina facta sunt Odorum causâ, inquit *Dn. Phil. Mel. in lib. de Anima tit. de Narib.* Os ἡθμοειδές dicitur, propterea quod instar cribri sit foraminulentum sive foraminibus multis pertusum: Alij Anatomici Spongoides sive spongiosum, quia instar spongiæ pluribus ijsq; minutis foraminibus sit perforatum.

XX. Medium Odoratus itidem est duplex, videlicet Aer & Aqua. Hoc ἀπολέξις traduc ex *Aristot. lib. 2. de anim. cap. 9. tex. 97.* verba ejusdem sunt: ἡ ὁσφρησις ἔστι διὰ τὸ μετὰ ζῦ ὀρειον αἰερος ἢ ὕδατος, hoc est, Odoratus fit per medium ut aerem aut aquam, ἢ μόνον ἐν αἰερί ἀλλὰ δὲ ἐν ὕδατι τὸ τῆς ὁσφρήσεως ἔστι, non solum in aere, sed & in aquâ Odoratio est, idem auctor *lib. de sensu & sensili cap. 5.*

XXI. Quod Aer Olfactus medium sit, patet ex eo, 1. Quia aer suâ naturâ est calidus, ideoq; aprissimus est ad halitus illos, qui ex rebus odoriferis exhalant, recipiendos & transmittendos. 2. Quia animalia terrestria sanguine prædita (atque adeo homo imprimis) Odores per aerem penè solum recipiunt, quia non odorantur, nisi adducto spiritu, quod ita animalia imperfectiora non faciunt propter discrepantiam quandam in organo: In Aquis verò longè aliter sese res habet, cum hominibus & animantibus sanguineis: ratio est, quia illorum organa, aquâ replentur & reguntur, ut aer attrahi nequeat. *Vide Arist. lib. 2. de Anim. cap. 9. tex. 98. 99.*

22. Et



XXII. Et quemadmodum coloris mediū Inest quaedam affectio, cujus ratione per illud species visibiles traducuntur ad aspectum, quam *Ἀφ᾽ ὀφθαλμοῦ* indigirant: Ita hujus Olfactus mediū affectio quaedam competit, quæ appellari potest jure optimo *διὸσφ᾽*.

XXIII. Verum enim verò quod Aquæ insit quoq; Mediū hoc, planè negari non potest, siquidē Aquatica sensu odorandi non totaliter priventur: nam ad oblatas escas è longinquo advolare videmus pisces, quod non fieret, nisi illas per odorem mediante aqua perciperent, Et *Aristot.* expressè fateatur aquatica odorem sentire, *lib. 2. de anim. cap. 9. §. 97. cap. item 5. de sensu & sensili; nec non lib. 4. hist. animal. cap. 4.*

XXIV. Nonnunquam ab homine Odores percipiuntur in Aqua sed tamen incommodissimè, & quasi præter naturam, quod autem verissime Odores in aqua percipiuntur, experimento esse potest is, qui caput intingit in labrū aquā calidā plenum & herbis odoriferis refertum. Aqua autem frigida non est apta ad odores commodè recipiendos, quia obrundit halitum odoriferum: Interim tamen pisces per mediam aquam odorari indicio est, quod intervallo satis longo ad cibum in aquam injectum adnarent: quo argumento utitur *Aristot.* supra citato loco.

QUAESTIO I.

An O D O R sit qualitas?

Odor varijs modis à diversis Autoribus definitur: Alijs enim est qualitas halitus tenuissimi è corpore mixto egredientis: Alijs est qualitas olfactibilis, per quod corpus est odoratum: Quæ Definitiones omnes veræ sunt, tamen non omnes æquè perfectæ ac perspicuæ, præter secundam, quæ angustior est suo definito. Verum hæc sententia quibusdam Philosophis non per placet: Illi enim arbitrantur Odorem esse substantiam, vel quicquam corporeum, vel vaporem seu fumidam exhalationem, contra quos Negativam amplectimur: statuentes quod Odor sit *QUALITAS* orta ex certo primarum qualitarum temperamento, quod non nisi mixtis corporibus per se debetur. Rationes quibus contra illos utimur, haud sunt stramineæ, quarum 1. est isthæc; *Cuicunq; com-*

B

petis

petit definitio qualitatis illud non est substantia ipsa; Arqui odori
 comperit definitio Qualitatis. Ergo: Minor est manifesta, quia
 odor est accidens, à quo Ens denominatur quale. 2. Quicquid
 olfactui Immediate & per se obicitur, illud non est substantia. Ar-
 qui odor immediate & per se olfactui obicitur. E. non est sub-
 stantia. 3. Quæcunq; conveniunt genere, ea etiam conveniunt
 eadem prædicatione. Arqui Sapor & Odor conveniunt genere.
 Ergo: Minor probatur: Quia cum de sapore dicere possum, quod
 sit qualitas Ita & de Odore: Quod Odor neque vapor seu fumida
 exhalatio sit, iridem probaturam damus hisce ratioculis: Vapor
 esse non potest, quia Aqua per se, si ei nihil sit admixtum, odorem
 non habet, Arqui vapor nihil est aliud quam aqua, cum in eam
 facile resolvatur. Ergo odor nequit esse vapor. Aristoteles lib:
 de sensu & sensili c. 5. Fumosa sive fumida exhalatio quoque o-
 dor non potest nominari, 1. quia in Aqua fit odoratus, uti su-
 pra thesi 23. 24. probavimus, fumus autem in aqua non generatur.
 Ergo Odor fumosa exhalatio nominari nequit. 2. Si odor esset
 fumosa exhalatio, sequeretur quod corpora olentia, propter con-
 tinuam evaporationem illius substantiæ fumosæ seu vaporosæ,
 contabescerent. Manet itaque quæsitum nostrum illæ sum ac
 salvum, quod odor tantum sit Qualitas & non substantia seu ex-
 halatio quædam fumosa. Nam hic fit confusio subjecti & adjun-
 cti in illis: quando statuitur, quod odor sit substantia, cum tamen
 sit qualitas, quæ adjungatur substantiæ nempe halitui, tan-
 quam subjecto seu vehiculo. Non igitur odor ipse est id, quod
 ex corpore odorato vi caloris resolvitur ac emittitur, sed potius il-
 le halitus, qui ex partibus tenuioribus vi caloris generatur & se-
 cum Odorem vehit.

QUÆSTIO II.

Quomodo ODORES gignantur?

Generatio Odorum resultat in mixtis corporibus ex pri-
 marum qualitatum concretionem, dominante siccitate, calore,
 humidum decoquente, & exsiccante, quod & patet ex rebus odo-
 riferis: nam si ex nimium humectentur in odorifera redduntur:

sic

Siccitas e contra est quasi mater odoris, ac omnis odor originem
trahit a calore: Quamobrem quanto major est calor rei odorife-
rae, tanto intensior ejusdem odoris est fragrantia, quod experi-
entia testatum reddidit. Verbi gratia: Sume Rosam aridam, ma-
nibusq; illam contere, statim experieris majorem ex se effundere
Odorem, quam cum sit viridis & humiditate plurima praedita.
In Aegypto flores minimè odorati sunt, ratio est, quia incubat il-
lis roscidus & nebulosus aer. E contra Terrarum plagae quo fer-
ventiores, eo odoratiores sunt, id testantur Arabia ac Syria quae
optimorum Odorum luculenta nobis praebent vestigia: Orga-
num nostrum Olfactus, quando pituitoso defluxu aut aliquovis
scetet humore, Odorem minus sentit. Est enim quaedam natu-
ralis consensio & cognatio instrumenti cum proprio sensibili.
Oportet autem in Odore siccum, & tenue vincere, ut Odor fa-
cilimè diffundatur, & transmeet, Verum & aliquid humiditatis
ad ipsum reperiri; inde constat; quia quae exarescunt & torren-
tur; Odorem amittunt, quod videre licet in cineribus ligni Odo-
rati, ut observat praeter alios Theophrastus lib. 6. de causis planta. cap.
29. Et e contrario multa nimis arefacta, humidi permissione O-
dorata fiunt, ut terra, cum primum compluitur post diurnam
siccitatem: non ita verò dum diu maduit, tum enim humor non
siccitas praevalet. Experimur etiam quod corpora Odorifera di-
cuntur evaporationes quasdam & (ut ita dicam) effumationes
aliquas efficere, per tenuis vaporis ab eis resolutionem. Cujus
signum est, quod temporis successu minimi videntur, id quod per
evaporationem satis probabiliter videtur contingere. Exempli
causa. Aqua rosarum stillaticia dum igni sensim incalescit, halitum
spirat suaviolem, & universim, quae odorata sunt magis redolent
cum calent, quam cum frigent, & plus interdiu quam noctu, vere
quam hyeme, astate quam vere. Unde ex praecedentibus in Ge-
nere notandum erit, Odorem oriri ex sicci saporis praedominantis
cum humido vi caloris, contemperazione. Ac necesse est ad Odo-
rem generandum, 1. ut adsit siccum saporis, 2. ut illud vi caloris
percoquatur, & cum humido misceatur, & contemperetur ita ta-
men ut humido praedominetur. In specie observandum est, quod
Odor fit & propagatur, partim per evaporationem corporis Odo-
rati

rati factam vi caloris vel solaris vel ignei : vel per infusionem aut decoctionem aliove modo. Inprimis autem diversæ odoris differentia existunt ex diverso & impari sicci sapidi cum humido commixtione & contemperatione, de quibus supra in thesibus mentionem fecimus.

QUÆSTIO III.

An omnis Odor sit calidus ?

Sunt nonnulli Physici, qui statuunt omnem odorem esse calidum; tum quia omnis odor à calore oritur, & sine eo non potest ex corpore odorato halitus resolvi, cum quo ad olfactus organum deferatur. At contra objici potest odorem alium calefacere cerebrum hominis ut odorem menthæ, pulegij, Zinziberis, nucis Moscatae &c. Alium refrigerare, ut odorem violarum, rosarum, camphoræ. Ideoq; necessario sequi odorem alium esse calidum, alium frigidum. Pro decisione quæstionis notandum venit; odorem dici calidum & frigidum non absolutè, sed respectivè, quatenus inest corpori odorato, quod temperamenti est vel calidi vel frigidi; neq; formaliter sed effectivè, quatenus vim habet excitandi calorem vel frigus. Interim non negamus omnem odorem ex calore oriri, & sine calore non posse ullum halitum ex corpore odorato resolvi, cum quo odor ad organon olfactus deferatur. Sed inde non sequitur, omnem odorem esse calidum, sive formaliter, sive effectivè intelligatur, sicut neq; omne odoratum esse calidum.

QUÆSTIO IV.

Quo pacto diffundatur odor, & per quod medium ad olfactum perveniat ?

Odor plerunq; diffunditur è re odorata per substantiam fumeam seu potius exhalationem, nam licet odor talis non sit ipsa substantia fumea, tamen concludimus illam odorem comitari, esseq; ejus vehiculum, cujus interventu, è re odorata prodeat. Nec necesse est, ut semper adsit substantia ejusmodi, quia cum res odorata vaporem exhaurit, non ubicunq; percipitur odor, sed da-

LXX

tur exhalatio tantum odorifera, quæ qualitatis naturam induit.
Et quanquam hæc nostra opinio alijs Medicis excellentissimis dupli-
pliceat, nihilominus probamus eam. 1. Hac ratione, quippe odor
sæpè sentitur in locis admodum remotis, ut testantur vultures, a-
liæq; aves, quæ odore allecæ cadavera procul inquirunt: ut au-
tem exhalatio tam longè lateq; spargeretur, oporteret rem odora-
tam de fluxu penitus absumi, & in fumum abire, quod falsissimum.
2. Quia odor breviori temporis mora percipitur quam exigat
motus substantiæ fumæ ad olfactum. 3. Quia vapor cum levis
sit sursum commeat, teste *Aristotel. de sensu & sensili c. 5.* Et tamen Odor
etiam in loco inferiori sentitur, ut patet in venatu Crocodilorum
qui ad carnes extra aquam suspensas odore invitati accurrunt. Ex
his allegatis constat, quod medium Olfactus, per quod diffunditur
Odor, sit duplex; Aer & Aqua, ut docuit *Arist. lib. 2. c. 9. re. 97. & lib. 4. de
hist. Anim. c. 8.* Et quidem Aërem esse medium Odoris, liquet ex eo,
quia terrestria, volatiliaq; animantia per Aërem Odores caprant.
Quod etiam Aqua medium sit, constat similiter ex piscium in aquis
odoratu, quod antea in thesibus fuit indigeratum. Hujus rei mul-
ta affert indicia *Arist. loco citato de hist. animal.* Nam complures pisci-
um spelancis latentes, salsamento illitis faucibus piscator evocat.
Deinde non pauci ad quosdam nidores ex alto accurrunt, ut ad ca-
runculas sepium deustas: et assatum polypum ideo conjiciuntur
in nassas. Deniq; compertum est pisces escam, antequam vorent,
Olfactu explorare, nec est quod quisquam nobis objiciat, pisces nō
Olfactu sed visu alimenta sibi querere, Illi respondemus, etiam il-
los, qui oculorum sensu destituti sunt, escas suas persentiscere &
querere, unde quæso illud habeant, nonne ab Odore hæcce prove-
niant. Sed alia hic forsitan occurrere ac moveri posset quæstio: Si
animantia inspirando olfaciunt, qui fieri potest, ut aquatilia, quæ
non respirant, odorentur? Respondet *Plinius lib. 9. Natur. histor.
cap. 7.* aquatilia omnia respirare, idque interventu aeris, quem et-
jam intra aquas latere putat: Imò & odorem vult nihil esse
aliud, quàm infectum aera, sed non rectè Philosophatur. 1. Quia
sub aquis detineri aër non potest, sed ubi intra eas gignitur,
confestim emergit, ut docet *Philosophus in libro de sensu
& sens-*

& sensili cap. 5. videlicet cum aquis levior sit, naturæ imperu in
superiorem locum evadit. 2. Quod Odor non sit Aër infectus,
constat ex ijs, quæ superius à nobis disputata sunt, ubi ostendimus
odorem esse Qualitatem, non substantiam. Quod verò non o-
mnia aquatilia respirent, ex instituto potest demonstrari ex *Arist.*
in lib. parvorum natural. Nec sanè omnia animantia inspirando
olfaciunt, sed ea tantum, quæ ὀσφραγεύω odorandi reconditum ha-
bent, ad quod aperiendum attractione aëris opus est, quale orga-
num minimè sortita sunt aquatilia: imò nec terrestria & volatilia
omnia sed complura. Ac licet animalia, quæ non respirant nari-
bus careant, non proinde tamen ea omnia olfactus sunt expertia
alia enim branchijs, alia fistulis, alia præcinctu quodam, ut inse-
cta, Odores sentiunt, referente eodem Authore *lib. 2. de partibus A-*
nimal. cap. 16.

QUÆSTIO V.

An omne Odorum sit Sapidum?

Sententiam affirmantem defendit *Arist. in lib. de sens. & sens.*
cap. 5. Ibi enim expressè docet Odorem produci ex sicci & sapidi
cum humido, vi caloris, contemperazione: ideoque nihil esse O-
dorum nisi sit Sapidum. Sed videtur huic assertioni reclamare
halitus ex corpore Odorato resolutus. Is enim est Odorus, ut ipse
sensus testatur; Et tamen non est Sapidus. Dicendum igitur est
pronunciarum illud, quo asseritur, omne Odoratum esse sapidum,
verum esse non simpliciter, sed secundum quid, nempe de omni
corpore perfectè mixto, cui per se & primo inest Odor; non de a-
lijs corporibus, cui secundario inest cujusmodi est halitus.

QUÆSTIO VI.

*An unumquodq; corpus qualem habet Odorem
talem habeat etiam saporem & è
contra.*

Si sensus iudicium adhibeamus, reperiemus quandoque O-
dorem

dorem & Saporem corporum inter se congruere, quandoq; non
Mel enim habet Odorem & Saporem dulcem; Allium & cæpa
Odorem & Saporem acrem, Acetum acidum, &c. contra cortex
pomi Citrei & Aurantij Odorem habet dulcem & saporem ama-
rum: Similiter Cariophyllum Odorem habet & saporem acrem.
Sic Rosarum & Rosmarini, Odor gratus; Sapor autem ingratus.
Ratio diversitatis est, quia in quibusdam corporibus omnes par-
tes sunt ejusdem substantiæ & temperamentum; in quibusdam ve-
rò non. Ideoque fit, ut in illis quidem Odor & Sapor conveniant
inter se, in his verò discrepent, unde porrò sequitur, ex Odore non
semper posse certum iudicium sumi de Sapore; neque ex Sapore
de Odore.

QUÆSTIO VII.


*An solus homo per se delectetur vel offenda-
tur Odoribus?*

Antequam ad ipsam quæstionis solutionem accedamus,
1. Advertendum est, quod multa corpora aliquem de se Odorem
fundunt, & aliquam evaporationem, quam tamen non facile
homo percipit, eò quod homo sit imperfecti Odoratus, neque
possit nisi excellentiores Odores percipere, unde Aristoteles di-
cit, ferrum habere Odorem, & magis æs, aurum autem nequaquam
nobis tamen vulgo, ut non aurum, ita nec ferrum neque argentum
videntur Odorem diffundere. 2. Homines multis animali-
bus pejorem Odorem habent, uti sunt canes venatici, vultures, si-
quidem pravè odorat homo teste Philosopho *libi. 2. de anim. cap. 9.*
tex. 92. & alibi Idem ait *χερίστω ἐχούτω τὰν ἀλλῶν ζώων τὴν αἰ-
σθησιν ἴσχυρῶς*, id est, pessimum aliorum animalium habemus
odoratum *libi. de sensu & sensibili cap. 4.* Ac licet homo Olfactum ha-
beat debiliorem alijs aliquot animalibus, tamen longè quoque
præstantiorem illi esse non est quod dubitamus. Debiliorem
quidem habet, quo ad repressionem & receptionem Odorum;
præstantiorem verò & perfectiorem quo ad dijudicationem eo-
rundem *Keckerm. libi. 3. syst. Phys. cap. 24.* Verum enim verò licet ne-
gari


gari non possit bestias etiam odoribus delectari vel offendi; veluti, apes, thimi feles murium, muscæ mellis odore delectantur; contra muscæ sulphuris, culices Galbani accensi, mures unguisæ mulinæ adustæ odore offenduntur: tamen inter animalia solus Homo per se delectatur odoribus bonis, vel offenditur malis. Unde illi odor & ad delectationem & sanitatis custodiam plurimum confert, per se gratis oblectatur odoribus, quia alimenta sibi ingrata odoribus condit & grata reddit. Si verò animalia bruta intueamur per accidens ea, odorem quatenus alimento inest, sentire ac eodem delectari videbimus: Sic canis sectatur odorem, quia alimenti indigus est, saturum nullus delectat, & bestia inquit Aristot. pascuntur sub arboribus gratum spirantibus odorem, ipse tamen nunquam suspiciunt, nec à sua esca se arceri patiuntur.

Plura qui desiderat, consulat excellentiss. Ioach. Cureum in
lib. 2. de sensibus & sensuum objectis, nec non
acutiss. Scalig. exerc. 247.

F I N I S.



hanc obitu publica, ante...



99 A 6903

(Nr. 24)

nicht

(Nr. ~~ausgegeben~~)

(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle

3

002 636 220



VD17

TA-OL




... in adu. Insuper ...
... factu in huiusmodi ...
... adhibuit ad se ...
... obam. Obi noui. fame ...
... pond. noui. quod ...
... mutauit. causa ...
... publica. Iohannes ...
... adu. et diuulgat ...
... in causa. arguunt ...
... cum inuenerit. Et ...
... inquit. Iohannes. & ...
... dicat. et uident. ...
... in. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...

ert adfiffi. Inuonem
O per. are. terra

quia in huiusmodi. omni. melior.
Prigeloferhu. curi. I. in. terra.





55.

Disputationum de Corpore Mix-
to in genere VI.

De
QUALITATIBUS SECUNDIS CORPO-
RIS MISTI.

Et quidem de
ODORIBUS.

Quam
DUCE AC LUCE JEHOVA;
In illustri ac florentissimâ VVitebergensi Academia
PRÆSIDE

Clarissimo & acutissimo Philosopho

Dn. IACOBO MARTINI
LOGICES ET PRACTICÆ PHILOSOPHIÆ
PROFESSORE PUBLICO.

Ventilandam exhibet

DAVID CUSELIUS
STETINENS, POM.

Ad diem 31. Martij, horis locoq, consuetis.



VVITEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormannî.

ANNO M. DC. XV.

